



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

19. Quid iudicis recusatio? qui iudices recusari possint? an datus à principe sub clausula: recusatione remotâ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

irregularitatibus, votis, ac juramentis, si Prælatus Ordinis tali potestate præditus non sit, rectè dicitur, quod exempti se subicere possint Episcopo Diœcesano, ex voluntate Pontificis benignè præsumptâ. *Sanch: Tom: 1. de Religio. libr. 4. cap. 39. n. 32. contra Suar: Tom: 2. de Relig: libr. 6. de votis, num. 11.* ne alioquin ipsi in ea re deterioris conditionis sint, quàm alii Clerici Diœcesis non exempti.

19. Prorogationi quàm maximè opposita est Judicis recusatio, quia per hanc Judicis alioquin non competentis jurisdictionis suscipitur; per hanc verò Judicis alioquin competentis jurisdictionis ex causa repudiatur. Recusari autem potest jure Civili non solum Judex pedaneus aut delegatus, sed & is, qui jurisdictioni præest velut Ordinarius: cùm nimirum ipse cogniturus est; hoc tamen discrimine, quod in illius locum surrogetur alius; huic potius adjungatur collega; *L. 16. ult. & Auth: si verò contigerit. Cod. de jud: nov. 13. cap: 2. cit. nov. 53. nov. 82. capit. 1. nov. 86. cap. 2. & DD. ad L. apertissimi. C. de jud: Nec is duntaxat, qui à Magistratu delegatus est;*

est; sed & qui à Principe. *L. cit. apertissimi.* Quid tamen si nominatim & expresse ita datus sit, ne recusari possit, quod fit sub clausula, remotâ recusatione? Multi existimant delegationem non valere, quos sequitur *Zasius cit. apertissimi. num. 22. Gail: lib. 1. obs: 33. n. 4. & seq:* Verùm cum possit Princeps ita judicem dare, ne ab eo provocetur, *L. 1. §. ult. ff. à quibus appellare non liceat*, merito addubites, an non verior sit contraria Jasonis sententia *in cit. L. apertissimi num. 25.* quæ & Accursium auctorem habere videtur *in ead: L. verb: recusare.* Atque hæc jure Civili attento: quia Canonico jure spectato recusatio afficit tam Ordinarium, quàm Judicem delegatum ex communi DD.

20. An tota aliqua decuria, Collegium, aut Universitas recusari potest? Negat *Vivius 1. com. opin: verb. suspecti.* eumque sequitur *Gail: obser: 33. n. 2.* quia Baldo teste, *in L. hoc modo. ff. de condit: & demonst.* fraus præsumitur in eo, qui omnes Doctores Civitatis recusat. Verùm si quis omnibus justas suspicandi causas objicere possit, non video, qui minus universi, quàm singuli

recu-